34-5-F-10

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO, DOMINO

JOSEPHO MARIÆ MARTELLIO

FLORENTINÆ ECCLESIÆ

ARCHIEPISCOPO DIGNISSIMO

Bibliothecæ Obſequium secr.

A JOSEPHO MARIA MECATTI

Clerico Florentino, & Accademico Apathiſta

Coll. Rom. PRÆSTITUM. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

34. 5. F. 10

Digitized by Google

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Præſul.

QUod *Venuſina olim cecinit Lyra*, *illud etiam atque etiam animum allicit meum*, *ardentique replet deſiderio*, *illos videlicet cognoſcendi beatos Viros*, Qui procul negotiis omni ſoluti Fœnore *vivebant*. Tunc enim *Horatius Epodon. Ode 2.*

Digitized by Google

Tibull. Eleg. Lib. 1. Non acies, non ira fuit, non bella; nec Enſes
Immitti ſæuus duxerat arte Faber
Verum unuſquiſque ...... Vindice nullo
Ovid. 1. Met. Sponte ſua ſine lege fidem, rectumque colebat.
Nunc verò Furores, Invidięque ortæ ſunt, nec locus ullus, qua totus latè patet Terrarum orbis invenitur, ubi fraudes, dolique ſuam ſedem non poſuerint. Nec mirum ſanè videri poteſt; Non enim nunc ſub Saturno vitam agimus, ſed
Tibullus ibidem. Nunc Jove ſub Domino Cædes, & vulnera ſēper;
Nunc mare, nunc lethi mille repente viæ.
Seneca in Thieſte. ! O Nos igitur durà ſorte creatos, dum in nos ætas ultima venit. *Hæc profectò animum revocaſſent meum, ne ante tuos oculos Muſa noſtra ruſtica quidem, & minus elegans, adeòque timida, & rubicunda accederet; niſi forte cogitaſſem, quod tandem* Seneca. Nullus eſt miſeris pudor. *Videbam enim quot, quantaſque ei notas inuſsiſſent Homines illi, qui (ut ait Apuleius)* obtrectare malint, quàm imitari, & quorum ſimilitudinem deſperant, affectant ſimultatem. *De his ego, aliiſque hujusmodi nihil laboro. Satis mihi futurum eſſe arbitror, ſi humanitas tua, & amor eximius meas haſce lucubrationes, ut ut ſunt, cenſorià gravitate non damnet. Quod quidem mihi eventurum eſſe confido.* Hoc Sen. Troad. enim habent ſummi viri magnificum, & ingens nulla quod rapiat Dies; Prodeſse

mi-

miſeris , ſupplices fido Lare protegere: *Equidem tuas aures non offendiſſem & oculos, niſi ab aliquibus queis*
Imperitare labor, mihi juſsa capeſsere fas eſt
fuiſſem impeditus. Qua de re hoc enixè a te peto, ut qualeſcumque demum ſint, utique rudes, Ingenioli, noſtri partus, illos, Præſul Nobiliſsime pro tuà benevolentia, accipias.

Humill; & Obſequentiſs. Fam; & Subditus
Ioſeph Maria Mecatti.

Digitized by Google

Digitized by Google

7
97

JOSEPHO MARIÆ MARTELLIO

D. STEPHANI PONTIFICIS, ET MARTYRIS
EQUITI ILLUSTRISSIMO,
AMBROSIANÆ BASILICÆ
NUPER PRÆSULI.
NUNC
AD FLORENTINUM PONTIFICIUM
EVECTO,
RELIGIONE, PIETATE, JUSTITIA',
CÆTERISQUE VIRTUTIBUS MAXIME' PROBATO,
LITERARIAS HASCE EXERCITATIONES
IN OBSEQUII, ET GRATULATIONIS ARGUMENTUM
JOSEPH MARIA MECATTI

D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO.

ETſi vereor; Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Præſul, Auditores ornatiſſimi; Etſi vereor ne turpe ſit pro nobiliſſimo, clariſſimoque Viro eum verba facere, qui neque ingenio, neque ſapientià valeat; minimèque deceat, cum tanti Pręſulis laudes ſint enarrandę, eum potiſſimum dicere, qui nedum illas extollere, aut exprimere, verum etiam adumbrare non poſſit; nihilo tamen minus hodierno die veſtra fretus benevolentià, Auditores; Humanitate tua, Pręſul ampliſſime; quę mihi imprę ſentiarum in mentem venerint laudes, illas ante veſtros oculos dumtaxat ponere conſtitui. Tot enim ac tantas Præſulis noſtri virtutes, tam inuſitatam clementiam inauditam pietatē, tantam in ſumma poteſtate moderationem, tam incredibilem ſapientiam, tantum denique ingenium, ac fere divinum, quis tacitus ullo modo poterat pręterire? JOSEPHO enim ex antiquiſſima nobiliſſimaque Martelliorum Familia, huius Patriæ ornamento, totius latè Terrarum Orbis decore, & gloria, ad ſupremam Florentinæ Eccleſiæ dignitatem votis animorum omnibus, ac ſuffragiis evecto;

vide quanta tibi claritas, auctoritaſque ſupervenerit, Civitas Florentina: Omnibus enim ad bene de Chriſtiana Republica ſperandum aperta eſt via. Vix enim intellectum eſt Te ad conſervandam ſacræ rei ſummam accitum eſſe, tanta ad animos pervenit lætitia; ut infelix communi vel indoctiſſimorum omnium ſententia vocaretur ille, qui gaudium non ſentiret, tamque nobilem electionem non comprobaret. Quod quidem merito atque optimo jure contingit. Quis enim aut probitate, aut optimarum artium ſtudio, quis innocentia clarior Te ipſo, aut ullo Laudum genere præſtantior? Tamen affirmo, ac diſertè contendo (& hoc quidem pace dixerim tua, o Florentia,) nullam in his tibi, ac toti fere Terrarum orbi eſſe laudem ampliorem, quàm eam, quam hodierno die conſecuta es: Nempe Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum *Antiſtitem tuum IOSEPHUM MARIAM MARTELLIUM tuo gremio recipiſſe* (*a*)

Solent nonnulli (ſi quando illis opportuna venit laudandi aliquem occaſio) ut id ritè, meliuſque agant, omnem Familiæ vetuſtatem, omnem nobilitatem ſanguinis, omnes ſtrenuorum Virorum, potentiſſimorumque Imperatorum res geſtas colligere; & ſiqui ſunt, qui vel honorum magnitudine, vel numero prçliorum, vel alicujus Gradus dignitate

(*a*) *Propoſitio.*

gate cæteros antegrediantur; illos ante noſtros oculos exponere, & ſingulas illorum laudes enumerare conſueverunt. Quæ quidem bellè eveniſſe videntur. Cum enim tam diverſa, tamque eximia immortalium laudum nomina in medium afferant, facilior illis munitur via ad extollendos viros quando cum aliis velint comparare. Quæ tamen omnia niſi ego ita magna in noſtro Heroè eſſe fatear, ut ea vix cujuſquam mens, aut cogitatio capere poſſit; Amens ſim. Vos vos præclariſſimos, ampliſsimoſque viros Martellia de Stirpe natos, nunc in nobiliſsimis rerum publicarum muneribus, nunc apud Principes, Regeſque Legatorum officiis illuſtratos, ad gubernandas Urbes tot inter ſapientes Homines electos, Senatorio titulo nobilitatos, & in Vaticanis Ædibus Sacra Purpura inſignitos Teſtes appello. Et jam videre mihi videor tot eloquentiſsimos Viros virtutibus, quam Mitra clariores, quos inter Ugolinus Licienſis primum, Narnienſis demum Epiſcopus renuntiatus maximè effulſit, qui (a) *Græca Lingua ſic familiaris erat, ut potius Græcus, quàm Italus crederetur*. Acceſsit huic alter Ugolinus Aloyſij filius Epiſcopus Glandevenſis, qui Commentarium in Odas Horatii, Tractatum de fluxu, & refluxu maris, & vitam Maximiliani Imperatoris ſcripſit elegantiſsimè. Et profecto

 nonne

(a) *Poccjantius Hiſtor. Martel.*

nonne LUDOVICUS Metropolitanæ Eccleſiæ Vicarius Generalis, deinde Epiſcopus Cluſienſis; BRACCIUS Canonicus Florentinus, Sanctæ Chriſtinę Rector in Urbe BRITINORII, Sanctæ Agathæ Plebanus, *CLEMENTIS VII.* Pontificis Maximi a Cubiculis, plurimarum Urbium Gubernator fidelis, & Epiſcopus Feſulanus, qui tam mirè in Tridentino Concilio ſe geſsit, ut ipſius Pontificis laudationes meruerit; nonne, inquam, ſuorum Antiquorum veſtigia ſunt ſequuti? Adde quod BRACCIUS adeò vitæ integerrimus fuit, ut ipſi Licienſes [apud quos demum Epiſcopi munere fungebatur) poſt vitæ curſum Ære publico immortale ſimulacrum erexerint. Quid de MARTELLO Equite Rhodio; quid de JOANNE BAPTISTA Commendatore Cornueti; quid de ANTONIO qui in Melitæ obſidione vitam pro Chriſtiana Fide profudit; quid demum de FRANCISCO Auſtriaci Equitatus Duce, (*a*) & Bareti Principe? DOMINICUM Juriſconſultum, apud Renatum Regem Legatum; BRACCIUM ad Carolum Regem Neapolitanum miſſum, ut illum ad Florentinam Urbem incolumem redderet, libens omittam. De LUDOVICO, de VINCENTIO, de GUGLIELMO, de GISMUNDO celeberrimis Poetis nihil dicam. UGOLINUM Hienymi filium Ludovico XII. Galliarum Regi in primis charum; LUDOVICUM Joannis Franciſci filium pro libertate Patriæ ſumma virtute pugnantem,

cum

(*a*) *Vulgo Baretta.*

cum a Cæſareis Armis Florentina Urbs obſidere- tur, ſilentio præteribo. Quis Eminentiſsimum *FRANCISCVM* Canonicum Florentinum, Faventię Gubernatorem, apud Ferrarienſes Legati vices obtinentem, Corinthi Archiepiſcopum, Eccleſiaſticæ Immunitatis a Secretis, in Polonia Legatum, Hierosolymitanum Patriarcham, & a Clemente Undecimo ob meritorum gratiam Sacra Purpura inſignitum laudabit ſatis? Verum enim vero me dies ipſa deficeret, ſi perſequi vellem omnia dicendo. Quænam eloquentiæ facultas, quæ verborum copia ſingula poſset commemorare?

Hæc quidem magna ſunt, ſed tamen ſunt alia majora. Nam Illę laudes propriæ ſunt illorum Virorum a quibus illuſtrata eſt Familia, licet ab his maximam ſibi partem poſteri vendicent; At verò hujus gloriæ, Præſul nobiliſsime, quam es paulo ante adeptus, ſocium habes neminem; & totum hoc quantumcumque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. Nihil ſibi Nobilitas, nihil ſibi majorum dignitates decerpunt; tota gloria, tota, inquam, eſt tua. Hoc enim ſibi virtus, hoc morum integritas, hoc invicti animi robur, hoc in rerum poteſtate modus, hoc pietas, hoc ſapientia, hoc religio ſibi comparavit. Itaque ſemper tuæ laudes non ſolum nobis, ſed etiam omnium populorum, exterarumque Gentium Linguis,

& Li-

Digitized by Google

& Literis celebrabuntur. Enimvero, ſi cum aliquod fortiter, ſapienter, juſtè, aut ſumma integritate, aut prudentia, aut conſilio ab aliquo Viro factum eſſe aut legimus, aut audimus, tantus in nobis accenditur amor, ut illum non modò diligere, verùm etiam ad ſidera extollere velimus; Te nunc cum præſentem intuemur, cujus clementiam, gravitatemque ſpectamus, ſummis laudibus non efferemus? Summo amore non proſequemur? Parietes ipſi reſonare, tuaſque laudes dicere, & innumerabilibus gratulationibus te cumulare videntur. Gaude igitur tuo iſto tam ingenti bono, & fruere fortuna tua ſimul cum majoribus, & poſteris tuis. Hoc affines tui, hoc Patria tua cum Civibus omnibus poſtulat, hoc vera Catholica Fides, hoc totus Terrarum Orbis ardenti animo deſiderat. Ego verò ſi tuam liberalitatem, ſi humanitatem tuam, comitatemque, & afflictorum Hominum miſerationem perſequi vellem exitum numquam inveniret Oratio. Si quis a te aliquod honeſtè petiit; non impetravit? Quem Ipſe egentem vacuis a munere manibus dimiſiſti? Senſerunt tuam munificentiam Populi illi ad quos cuſtodiendos, conſervandoſque electus eras, ſenſerunt. Te inopes altorem, te Parentem ſuum cives omnes appellant. Quid quod te amantisſimum in Pauperes jampridem totius Florentinæ Urbis incolæ cognoverunt.

Quæ

Quæ cum tanta eſſe intelligam, quanta cujuſqu m mens, aut cogitatio poſsit percipere, Oratio ipſa inſolito ſplendore circumfuſa de Te plura verba facere veretur. O felix igitur Florentia, (*a*) *quæ tantum Heroem in tuo gremio recipere ſortita es*. Tu verè Urbs illa es appellanda Heroum parens, quemadmodum de Romana Urbe Florus non minus magnificè, quam verè affirmavit. Tibi etiam, atque etiam gratulantur omnes, dum te ad tantam elatam videant dignitatem.

Ego quidem, Auditores, quod mihi ſub meæ Orationis initio onus impoſui, curabo quantum in me erit, ne qua in re gratulationis meæ partes deſiderentur, meamque operam, quam præſtare poſſum amantiſsimæ meæ Patriæ non denegabo. Vos geminate, obſecro, geminate illius laudes ampliſſimas, dignas illius ſplendore, dignas ingenio Veſtro, amplitudine Patriæ, majorum gloria; & efficite ut hi noſtri Cives, hi noſtri Poſteri omnes, qui tanta de hoc digniſſimo Præſule geſta a Vobis audierint, multo jucundius locuturi per omne Ævum hæc quæ vobis explananda cupiebam, gravitate, & auctoritate cohoneſtent. At tu Mundi Opifex Deus, cuius Numen majeſtatemque in Sanctis veneramur, eam mentem Præſuli noſtro injice, ut omnia ſtudia, omnes conatus, omnem in-

du-

(*a*) *Propoſitio*.

duſtriam, operam, laborem, diligentiam ad Eccleſiam, quæ communis eſt omnium noſtrum Parens, erigendam, ad Chriſtianam Rempublicam ex tantis miſeriis excitandam conferat; ut ubi honeſtiſſimis in laboribus vitam hanc, quæ brevis eſt conſumpſerit, acceptus ſedibus Beatorum, atque illo clariſſimo Domicilio, Dei conſpectu perpetuo fruatur. Tunc illi ſumma laus in omnem Æternitatem, Immortalisque debebitur.

Digitized by Google

Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino

JOSEPHO MARIÆ
MARTELLIO

Florentinæ Eccleſiæ Archiepiſcopo digniſſimo.

ELEGIA.

NUnc bona verba: venit Thuſcas lux illa per oras
Lux qua nil toto clarius orbe fuit.
Nunc bona verba: Deæ, quas limpidus eoucat Arnus
Ad dulcis Cytharæ fila movete pedem.
Vos Charites, Divũque omnis Chorus, atque Dearũ,
Seu vos Pimpla tenet, ſeu mage Pindus habet;
Viſuræ revocate gradum decora alta verendi
Præſulis, Etruſcus quem Sacer ornat Apex.
Hic *IOSEPH* clara Martelli ab origine natus,
Floræ ornamentum, Floræ honor, atque decus.
Vos hilares Pueri, pueris mixtæque puellæ
Carpite io flores, & redimite comam.
Quin & odoriferas juvet implicuiſſe coronas;
Et miſcere Roſis Lilia, ſeu Violas.
Lilia vos, vos ergo Roſæ, violæque venite,
Quanta, Roſæ, vobis laus erit, & violæ.
Auguror? Ipſe ſuos Genius ſpectabit honores,
Et cingent ſanctum florea ſerta Caput.

C   Nec

Nec renuet puro ſacram dare flore corollam ;
Jam reor hoc ipſos edidiciſſe Deos.
Scilicet ipſe Hominum, & Divum Rex Jupiter alto
Junonis ſertum compoſuit capiti.
Scilicet alma Venus cinxit radiante capillos
Gnati auro, Nardi ſparſit & imbre genas :
Nunc gemmas aurumque feras, nunc divite vena
Atque ſatur libo ſis, madeaſque mero.
Vota valent: votis facilis ſubſcribit Olympus,
Namque à lævo ingens axe fragor tonuit.
En Deus, ecce Deus ſtrepitantibus advolat alis,
Atque tibi dextrum fert bonus augurium.
Feliceſque dies tibi dat, dum tarda ſenectus
Inducat rugas, inficiatque comas.
Vivat io JOSEPH; nam tanto Flora ſuperba
Nomine lætitiam non capit ipſa ſuam.

ARNENSIUM NYMPHARUM plauſus in electione Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D. Ioſephi Mariæ Martelli Archiepiſcopi Florentini.

ELEGIA.

ARNENSES NYMPHÆ juſtiſſima cura parētis,
Et Florentinæ gloria prima plagæ,
Si veſtras olim laudes celebravimus, & ſi
Carminibus veſtrum nobile nomen erat;
Dicite quis riſus Pinus habet, auraque citros

Quæ

Quæ pingit lætas verſicolore nota:
Cultus cuncta tenet, tenet omnia pulchra voluptas,
Ridet odorato Floraque blanda ſinu.
Extillant nectar vitreo pro gurgite fontes,
Saxaque blanditias elicuere ſuas.
Quin etiam lætas vos cerno agitare Choreas,
Et manibus promptas implicuiſſe manus.
Spernitis abſtruſos tacitæque habitare receſſus,
Et cura eſt blanda dicere voce jocos.
Et platanos formoſa Dryas, formoſaque Najas
Occupat, & gratos ore vocat Zephyros.
Et flavos Myrto ornatis, violaque capillos,
Tingitis excultas atque rubore genas.
Tantane ſunt animis ſublimia gaudia veſtris?
Syderea, & cultus pectora tantus habet?
Dicite, ſi quis amor, ſic vos florere Decembri
Sol, gratuſque Notus, dulcis & aura velit.
Dicite:: ſed tamen ora ſilent: nam dicere voces
Vel non feſtivas gaudia tanta vetant,
Ora ſilent, nimium loquitur ſed proxima fagus,
Talia quæ viridi in cortice verba refert.
Plaudite io Nymphæ vitreus quas educat Arnus;
Plaudite io blandę quas habet aura Deæ;
Plaudite io Divæ quas tellus, quas tenet Aether,
Plaudite io Divæ quas & Olympus habet;
Scilicet Etruſci decus immortale Senatus
Joseph feſtivæ delicium Patriæ,

 Con-

Conſpicuus lituo, & redimitus Tempora vittis
Ingreditur Thuſci templa ſuperba Soli.
Senſimus agreſtes ingentia gaudia Nymphæ,
Nymphæ quas Phœbus, quas quoque Pallas amat.
Jamque eſt JOSEPHI nullum ſine nomine lignum,
Factus et eſt JOSEPH altera vita Deis.
Ipſe Pater qui fœcundos interluit agros
Arnus de medio ſuſtulit amne caput:
Nuntium & accipiens læto velatus amictu
Algenti cinxit Fronde Comam, & Calamo.
Reſpicienſque Deas plauſus trahit argumentum,
Et tantum celebrat voce ſonante Diem.
Ergo nos omnes teſtamur gaudia vultu,
Arnenſes Nymphas ſic decet eſſe pias.

PIETATIS VATICINIUM.

Epigramma.

UT ſtetit Etruſcæ Imperium tibi nobile gentis,
Cinxit & Auguſtum ſacra Tiara caput,
Audiit id PIETAS, atque imo è pectore lætam
Dans vocem, ad nomen ſuſtulit ora tuum,
Atque ait. Ante alias felix Florentia, tantum
Cui datur è ſupera ſede habuiſſe virum.
Hic eſt qui deinceps claro ſublimior Oſtro
Feſtivæ fuerit magnus honor Patriæ.
Hoc mihi firma fides, animi vis, candor, honeſtas,
Hoc

Hoc mihi promittit Relligionis amor.
Hæc jubeo ſperare: Duce hoc, Florentia, ſævę
Ne timeas mortis vulnera; ſoſpes eris.

HÆRESEOS TIMOR.

Epigramma.

VIx, JOSEPH, noſtrum fama eſt vulgata per Orbē
Torquere Etruſcæ te ſacra ſceptra plagæ:
Quis putet? Hęreſeos veſana ſuperbia fracta eſt,
Cœpit & inde tuas ſponte timere manus.
Ilicet Imperium agnovit, Dominumque probavit,
Qui Florentino ſummus eris ſolio.
Mox lacrymas fundens, nunc credo denique, dixit,
Hic fera qui pedibus vincula ſtringet; Hic eſt.
Per te ſancta Fides referet ſuper Hoſte triumphum,
Curvabitque genu gens inimica Cruci.
Hoc vereor: tamen hoc unum laudavero: nempe
Me manibus victam cernere poſſe tuis.

Populorum omnium Plauſus in Electione Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Archiepiſcopi Florentini.

EPIGRAMMA.

O Felix, & fauſta dies; Qua navita tutus
Per tumida infidas ęquora ridet aquas.
An priſci redeunt Saturni ſęcula? Quercus
Nam

Nam ſudant liquidum nectar, & ambroſiam.
Quin Soles ſine nube nitent, & clarior alto
Luce ſua Titan implet utrumque latus.
Et ludit Catulus ſecurus ab ungue Leonis,
Et ludit Cervus tutus ab inſidiis.
Et ludit tener agnus agris, tenerçque Bidentes;
Ludite: Non capiet ſçvus ovile Lupus.
Namque çterna ſuæ JOSEPH dat gaudia genti,
Viſus & eſt duplici reddere luce diem.
Verè igitur niveo lux hçc ſignanda lapillo eſt;
Huc nobis ſemper, candidiorque veni.

Inopinam lucem mirantur Populi in Electione Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Archiepiſcopi Florentini.

THALEUCIUM.

QUæ lux? Quæ novitas? Quis iſte ſplendor,
Qui vincit genus omne claritatis?
Cur rident Charites, cupidineſque,
Cur plaudit Venus aurea, & venuſta,
Et fauſtus Genius, jocuſque fautor
Ad grata, ad lepida, ad ſecunda quçque?
O nobis rutila, o dies decora,
O nobis niveique, & elegantes
Curſus, qui faciunt beatiores
Soles ire ſuper Polum ſerenum.
O forma, o ſpecies, amabiliſque

Lepor

Lepor, delicięque, amœnitaſque.
O lux ſplendidior nitore Solis,
O lux candidior nive & liguſtro,
Sive marmore, eburneiſve ſignis.
Non tot ſydera ſunt tacente nocte,
Non tot ſylva comas habet virentes,
Non tot Flumina piſcibus natantur,
Non tot Aera pervolant volucres,
Quot ſunt deliciæ tibi, ac lepores,
Et quot ſunt decora, atque pulchritudo:
O lux divitiæ ſuperbiores,
Omnium decus elegantiarum,
Omnium nitor, omnium voluptas,
Qua Joſeph redimitus emicante
Mitra Tempora fert ſacrata Thuſcis.
Jura gentibus, ore, mente, dextra.
Hanc lucem cythariſque, Tibiiſque,
Et cantu celebrate vos, Thalia,
Et vos, Calliope, diſerta Turba
Grati Apollinis, Aetheremque totum,
Et tecta omnia vocibus replete.

IN HÆRESIM DIRÆ.

I Barbara, i ſuperba, trux, & invida
Rubore nullo tincta malas lividas,
I turpis, orbis, & petas confinia,
Nec amplius mortale deturpa genus.

I nata

I nata Cerbero, aut Averno turbido;
Plutonis execrabili vel ſemine,
Præceps, age infimum ruas in Tartarum.
Sed illa frendit. Scilicet Paſtor bonus
Surgens paratus ad ſuprema funera
Detrudit hinc, & hinc cruentatam Feram:
Evertit altus, projicit ſuperbiam,
Pedisque firmo calcat ictu Belluam,
Caputque ſternit, & fugat formidinem:
Io Triumphe, io triumphe, gaudeas
Lætaſque voces tolle ad arduum æthera
Res Chriſtiana. Non magis timeas minas,
Nec ſæva tela, ſæva nec pericula;
Nam quæ movere in te nefanda prælia,
Cædeſque jam dediſſe conſueverant,
Paſtoris ecce ſtrata ſunt a Cuſpide.

Lycidas, & Tytirus Paſtores Etruſci Archiepiſcopali Illuſtriſsimi, ac Reverendiſs. D. D. IOSEPHI MARIÆ MARTELLI dignitate gaudent, illiuſque laudes Carminibus celebrant.

ECLOGA.

Lyc. TItyre, quid vitreas recubãs ad Fluminis undas
Stratus humi, placidę das languida membra quieti?
Cur non ſylveſtri modularis arundine Carmen?

Non

Non te laus Alcon Paſtorum, & gloria Sylvę,
Cui jam Capripedes, agreſtia Numina, Fauni,
Et Nymphæ, & Satyri, & ruralis Apollo favebat,
Te dixit Vatem, & redimivit Tempora lauro?
Quare age: Quæ pendet tibi garrula fiſtula collo
Sit deſumpta manu; alternos namque edere verſus
Mens mihi firma manet, mea dũ canit ipſa Cicuta.
Tit. Non equidẽ, Lycida, non hoc fert Carmina tẽpus,
Dum Res plena metu eſt, Paſtor dum deſit Ovili,
Dum Lupus ipſe Gregẽ turbet, dum devoret Agnas.
Lyc. An (cum nuper ego Florentiæ ab Urbe redirem)
Lęta ibi quæ audivi nondum benè Tityre neſcis?
Tit. Quænam lęta mihi Florentię ab urbe reportas?
Lyc. Tityre læta tibi Florentiæ ab urbe reporto.
Lætitiæ res plena eſt: Deeſt non Paſtor Ovili,
Nec Lupus ipſe gregem turbat, nec devorat Agnas.
Scilicet illuſtri Paſtor de Sanguine natus,
Martelli veniens ab Origine, nomine JOSEPH;
Inſignis lituo, & redimitus Tempora Mitrà
Paverit Etruſcos fœcunda armenta per agros.
Tit. Verane ſunt iſta, o Lycida? An mendacia narras?
Lyc Vera quidem: Totũ Fama eſt vulgata per Orbem
Oceani fines juxtà, Nabathæaque regna,
Quæ cuncta Æternis tollunt ad ſydera nomen
Laudibus, & fauſtam vitam, ſeniumque precantur.
Sed quid plura? Audis voces, ſonitumq; Tubarum.
Feſtivoſque vides ipſis ſub Mœnibus ignes?

Omnia Paſtoris teſtantur gaudia noſtri.
Tit. O quantum exilio, Lycida, dum talia narras.
Lætitiâ mihi genva labant, titubanſque labat pes.
Quare hunc Argento ſolidum, ſigniſque coruſcum
Craterem dono ſumas, opus Alcimedontis.
Lyc. Non ego difficilis quod das mihi, Tityre, donum
Accipio. Interea tereti meditemur avena
Carmina, JOSEPHO ſed quæ ſint Carmina digna.
Tit. Dicite feſtivos, Paſtores, dicite verſus.
Exultent Colles, Montes, Sylvęque comantes
Incipiam: repetent Colles, Sylvęque comantes.
Æternum, Nymphæ, JOSEPHI tollite Nomen,
Paſtor io novus ecce venit. Vos avrea turba,
Et Dryades, & pulchra Pales, formoſaque Najas
Carminibus revocate animũ. Sunt Carmina digna
JOSEPHO dicenda: etenim ille eſt carmine dignus.
Lyc. Æternum, Nymphæ, JOSEPHI tollite nomen
Paſtor iò novus ecce venit. Vos ruſtica pubes,
Gallicius, Mopſus, Melibæus, & Artemidorus
Nectite ſerta roſis, ſeu nectite ſerta Liguſtris,
JOSEPHO nam digna roſa eſt, & digna Liguſtra,
Tit. Aſpice JOSEPHI lætentur ut omnia cultu!
Splendidiore rota Sol implet lumine Terram,
Et nemus, & ſylvæ, ſimul & mugitibus omnes
Feſtivis reſonant Agri, colleſque ſupini
Exultant, gaudet pratis Boſque immemor herbæ.
Lyc. Aſpice JOSEPHI lætentur ut omnia cultu!

Pu-

Digitized by Google

Purior ad Pontum ſe ſe Cryſtallinus Humor
Flectit agens curſum, pacatuſque herbida lambit
Arva latex. Ridere putes, dum argentea volvit
Murmura per Campos motu criſpante virentes.
Tit. Roſcida ſylveſtri ſudabunt cortice mella,
Et Pecudes referent diſtentas lacte papillas.
Lyc. Pinguis & injuſſis Campus flaveſcet ariſtis,
Grandia triticeà rumpentur, & horrea meſſe.
Tit. Carpite ridentes herbas per prata Capellæ,
Numquam lethiferum vitiabit gramina virus.
Lyc. Ite per Etruſcas, vos, Sylvas, ite Bidentes;
Candidius vellus paſcentes veſtiet Agnas.
Tit. Sis felix o Flora: tuis non triſtis Arator
Infindet ſulcos, aut credet ſemina glebis.
Lyc. Sis felix o Flora; libens ad paſcua ſtabit
Grex ſatur, & niveo implebit mulctralia lacte;
Tit. Non lætæ Campis ſegetes, Soleſque benigni,
Nec Rores puri deerunt: ſpem provehet Anni
Qui Pater Etruſcis ſe ſe nunc finibus infert.
Lyc. Cum ſitient Herbæ, cum Sol aut Sirius illas
Uſſerit; edicet Zephyris, edicet, & Auſtris,
Solentur Terram pluviis, ſolentur & Auris.
Tit. Numquam ceſſabo JOSEPHUM tollere cantu
Lyc. Semper JOSEPHUM facili modulabor avenà.
Tit. Sed jam parcitò carminibus. Sol occidit; altæ
Præruptiſq; cadunt, Lycida, de montibus umbræ,
Lyc. Carminibus parco. (*Lyc.* & *Tit.* Sed Cor pro carmine reddo.

 Per

Per lo feliciſſimo Ingreſſo di V. S. Illuſtriſsima, e Reverendiſsima nella Città di Firenze.

SONETTO.

BEn hà ragion, s' oltre l' uſato adorna
Di qualunque altra più Fiorenza appare:
Ecco dal Tebro in ſante, inclite, e rare
Sembianze un ſuo gran Figlio oggi ritorna.
Virtude è ſeco, che l' abbella, ed orna
Per entro sì, che fuor tutta traſpare,
Dolcezza di Natura, e l' altre chiare
Doti, onde l' Alma vien grande, e s' adorna.
Vedi come or d' intorno il Popol tutto
A Lui s' aduna, e da tua man diſceſo
Venga a noi (dice) di pietade il frutto.
Per Te da inſidiator dente difeſo
Fia il Gregge tuo, ſecur da ſtragi, e lutto,
Se teco è il Cielo a ſua cuſtodia inteſo.

Vaticinio d' Elcino Paſtore.

SONETTI.

O Tu, ch' entro al natìo Suol ci diſpenſi
I ſanti doni del Paſtor Latino,
Odi quel che dicea l' antico Elcino
Scopritor del futuro, e d'alti ſenſi.

Tempo

Tempo verrà, dicea, che ſagri incenſi
La Faccia veleran del *Toſco Elpino*, (a)
Ei ſeggio avrà, ch' auguſto, e pellegrino
Più che a Paſtore; a Semideo convienſi.
Ei le ſciolte ſiringhe, e i rochi, e laſſi
Crotali dall' obblio guaſti, ed infetti
A maggior uopo racconciar vedraſſi:
Ei riconforterà noſtri Jntelletti
(De ſuoi ſeguendo gl' onorati paſſi)
A battere il ſentier dei più perfetti.

CIò detto: delli altiſſimi Concetti,
Che a pochi in Terra il Ciel detta, ed inſpira;
Fece conſerva, e di ſua fatal Lira
Sù Tronchi immarceſcibili, ed eletti.
E fur vedute al ſuon dei ſagri detti
Rider le Selve d' aſpro verno in ira,
E da quel Antro, u' tepid' aura ſpira
Dolce ulular le Ninfe, e i Satiretti.
Ed ogni Paſtorel danze, e carole
Teſſere al Fonte in ſemplici vicende
Di Gigli incoronato, e di Viole.
E ben ragion; perocchè le ſtupende
Del fatidico Elcin ſante parole
Oggi avverate in Voi; Giuseppe, intende:

Per

(a) *L' Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo, Arciveſcovo,*

Per l' Elezzione di V. S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima all' Arciveſcovado di Firenze.

SONETTO.

CHi la Sacerdotal vedova ſpoglia
Veſta, e governi dell' Etruria il freno;
Chi dell' Ovile a me diletto appieno
Segga Paſtor ſulla ſagrata ſoglia;
Chi vaglia d' Arno a conſolar la doglia
(Diſſe al ſuo Nunzio Iddio) giù ſul Tirreno
Lido mi trova, Eroe che tutte in ſeno
Degne d' almo Paſtor virtudi accoglia.
Così diſs' egli, e Gabriel ſull' ale
Moſſe al bell' Arno. Ivi alla Fronte, e al Ciglio
Te ſol, GIUSEPPE, ei riconobbe eguale.
Bel fù vedere allor l' alto Conſiglio
Lieta adorar Firenze, e il dì fatale
Segnar di bianca pietra ogni ſuo Figlio.

SONETTO PASTORALE.

QUeſt' Agna, e queſte auree mature ſpiche
[Diceva Elpin ſulla naſcente Aurora]
A Voi Ninfe dell' Arno, a voi di Flora
Ninfe del Toſco Suol cuſtodi amiche;
A Voi queſt' ara Elpin; mentre l' apriche

Piaggie

Piaggie, è ogni Ovil novo Paſtore implora;
Per cui vivan le Greggie, e i Campi; e muora
Il gioglio allato alle ſelvoſe urtiche.
Sì diſſe. E fatto il ſagrifizio, aſſiſe
Preſo da divin ſonno il fianco oppreſſo,
Sui bianchi Velli dell' Agnelle ucciſe.
Cio ch' ivi udì nol sò. Sò ch' egli appreſſo
Gridò. Non Uom, ma ſotto umane guiſe
Sarà noſtro Paſtore un Nume iſteſſo.

ECLOGA PASTORALE.

Elpino, e Tirſi.

Tirſi Vientene all'ombra, Elpino; e quella Cetera
Recati appreſſo, cui null 'altra agguagliaſi
Dotta a cacciare ogni aſpra cura, e vetera.
Vientene quà, dove per mezzo tagliaſi
La Via da un Praticel d' erbe odoriſere;
E di bel Mirto un freſco Suolo intagliaſi.
Quivi udirai le dolci ſalutiſere
Aure del rezzo al tuo cantar riſpondere:
Sonando intorno a collinette erbiſere.
O' vogli dir di lui, che fè confondere
L' avaro Cacco; ò di quel rozzo, e miſero
Che l' Agnellette ſue ne pur sà tondere;
O' vogli dir del Paſtorel; che ucciſero,

I ſuoi

I ſuoi ſembianti al Fonte, e che mutatoſi
Sorgeſſe in fior la Deità permiſero.

Elpino Elpin, triſto à quell' Uom, che confidatoſi
Sol nell' altr' Uom (già mi dicea Polipio]
Quel buon Paſtor cui par non è trovatoſi.

Dal ſommo Giove, Figliuol mio, principio
Ti ſia; che ſe vorrai por lo contrario,
Di fortuna ſarai ſcherno, e mancipio.

Io per me, Tirſi mio, ſon così vario
Da quel ch' i' m' era, che non più m'ajutano
Le Muſe ad accoppiar ſolo un Ternario.

Vattene a quel che lo meglior reputano
Là dentro Flora in ſtil dolce bucolico
(a) Gentil paſtor che gl'anni ancor non mutano.

Egli ne lazj carmi, e in metro argolico
Sì dolce canta, che ciaſcun l' appella
Il Saggio, & il dottiſſimo Nicolico.

Ei nella mia novella età più freſca
Porſemi la dolc' eſca di Permeſſo
Addeſtrandomi ſpeſſo al nobil canto,
Per cui vive ancor Manto in pregio eterno:
Ei quell' ardore interno delle Muſe
Vivamente m' infuſe, e mi die' vita
La più bella, e gradita, ch' altra mai.
Per lui non vedrò mai giù nel obblio

Il

(a) *Il R. P. Scappecchi della Compagnia di Gesù Maeſtro di Rettorica nel Collegio di Firenze. Queſto fù mio Maeſtro, ed è de miglior i Poeti Latini, che ſiano in queſta Città.*

Digitized by Google

Il torvo rio dall' immondiſſime Acque,
Ove non giacque Titiro, e Damone,
E Coridone, e Moſſo, e Melibeo.
a Egli già feo ſonar d' Arno le ſponde
E le chiar' Onde al dolce ſuono amabile
D' inclite geſta non udite altronde.
Ei celebrò l' eccelſo, & adorabile
Paſtor di Flora, per cui già rinaſcono
Le belle Idee d' ogni virtù più ſtabile.
[La ſua mercede] oggi all' Etruria naſcono
b Fortezza, e Vigilanza alto preſidio
All' Agnellette, che tra i Gigli paſcono.
Tirſi. Or mi rammenta ben che in lor ſuſſidio
Era Lion, che di cuſtodia armavaſi,
Senza promettere ſtragi, e duro eccidio.
Or mi rammenta ben, ch' alto libravaſi
Nell' ali ſue l' auguſto Augello, e intorno
Alla vedova Greggia indi aggiravaſi.
E giù dall' ameniſſimo ſoggiorno
D' un ſanto colle adorno
c AMINTA il venerabile ſcendea
In grave paſſo, e in maeſtoſa Idea.
Quindi la man ſtendea

E La

(a) S' allude all' ingegnoſiſſima Accademia fatta dal Medeſimo publicamente nella Chieſa di S. Giovannino ſopra Monſig. Arciveſcovo.
(b) Tema dell' Accademia del Medeſimo cavato dallo Stemma Gentilizio del Sopradetto Monſig. nella quale vi è un Grifone, Animale che è mezz' Aquila, e mezzo Leone. Onde come Leone ricavò la Fortezza, come Aquila la Vigilanza.
(c) L' Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Monſig. Martelli.

Digitized by Google

La man pietoſa ai deſolati Armenti.
Quivi eran poſcia a benedirlo intenti
Altri Paſtor ridenti.
Chi nol dicea di Dafnide men ſaggio,
Altri Inno gli cantava a piè d' un Faggio,
Altri preſtava omaggio.
L' un del grande Ugolino imitatore,
L' altro ugual del gran Zio allo ſplendore
Diceva, e al ſommo onore.
Io dirò ſol; che per Te, ſaggio AMINTA,
Reſtò la Serpe entro al ſuo verde eſtinta,
E l' ira oppreſſa, e vinta
Del Lupo inſidiator. Lo ſteril gioglio
Per te non fia che mai riſolva in cenere
La meſſe mia, di che ſpeſſo mi doglio.
Alpin. Tu nella dolce alma ſtagion di Venere
Moſtra alla Greggia tua fiorite Pratora
Dove erbe paſca rugiadoſe, e tenere.
E per te ſia di quel buon nettar ſatora
Che piove in terra il Cielo, e ſempre veggaſi
L' Aquila tua col tuo Lione a latora.
Della tua Verga alla dolce ombra ſeggaſi
Udendo il ſuon delle tue voci amabili,
Onde nel buon ſentier tranquilla reggaſi;
Tirſi Per Te le due Sorelle deſiabili
Vera ſemplicità, retta concordia
Sopiſcan gl' odj in noi empj inſaziabili.

Vinta

Vinta ſen fugga l' Ira, è la diſcordia,
E al giuſto, e al ben oprar l' accendan gl' animi
Togliendo via la tacita ſocordia.
Elp. Prenditi in don trè Tortorelle unanimi
Della mia Torre ſolitaria. e macera,
Che i Figli ſuoi trovai nel Nido eſanimi.
Tirſi Ve queſta Tazza di fortiſſim' Acera
Opra ben degna del famoſo Argiloco:
Prendi, che ancor non è dal Tempo lacera.
Elp. Sò che doni maggior dal ricco Antiloco
AMINTA, avrai da Ofelia, e da Filonico,
Da Titiro, da Opico, e da Arteſiloco.
Dar più non oſo: ma da Petto erronico
Ciò non vien già, ne da rapace graccolo;
Che tutto vien dal mio buon Vecchio Clonico.
Tirſi Laſciate omai Paſtor lo Zaino, e il Saccolo,
Venite o Melibeo, venite Ofenio,
Venite omai ſenza conteſa, e Taccolo.
Elp. Vieni Amico Damon, Gentil Tirenio
Entrambi uniti ſenza polve, e Zaccari
Ad adorar del grande AMINTA il Genio.
Grazie del Ciel! Spirano ambroſia, e Baccari
Mercè di lui tutti i Paſtori, e in pregio
Già ſon (mercè di lui) Sampogne, e Naccari.
Già torna alla Pietà l' antico fregio,
E a campi noſtri di Saturno il Secolo
Quando d' altrui non v' era odio, e diſpregio.

 Tirſi.

Digitized by Google

Tirſi. Grazie del Ciel! ch' ogni affamato Grecolo
Fugge dal vicin Boſco, e l'atre inſidie
Più non paventerem per ciaſcun Secolo.
Siccome l' acerbiſſime perfidie
Non vide Flora, allor che viſſe (*a*) OFELIA,
Il Vincitor delle malnate Invidie;
Così non vedrà mai d' Apollo, e Delia
Turbato il corſo, e il Dì men chiaro, e nubilo
Per riſſe di Paſtori, e contumelia.
Il buon AMINTA il Ciel ſereno, e innubilo
Sì ci diſtende in bel Zaffir durabile,
Che molto, o Elpino, in rimirarlo i' giubilo.
Elp. Flora ſi veſte di ſua Pompa amabile
AMINTA, AMINTA ſuonan Pive, e Cetere,
AMINTA, AMINTA ogni Sampogna flabile.
Tornan per lui le dolci uſanze vetere
A rifiorir; feſtoſa eſclama Etruria
Grazie rendendo al Regnator dell' Etere.
Ne d' Aquilone minaccioſa Furia,
Ne d' atra nube tempeſtoſa grandine
Al Giglio mio faran diſpetto, ò ingiuria.
S' egl' averrà che a lor difeſa ei mandine
L' Aquila ſua, che ſcudo, ed ombra facciali;
Di nulla temerò quantunque grandine.
Tirſi Così quei Fior che non mai Spina impacciali

Cre-

(*a*) *L' Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Tommaſo Bonaventura de' Conti della Gherardeſca già Defunto Arciveſcovo.*

Creſceran ſi nella freſc' ombra tenera;
Che non fia mai che Nebbia, ò Verno sfacciali
Mercè il Paſtor, che tutta Italia venera.

EUCHARISTICHON.

NUper Apollinei ſuperabam culmina Montis
Ut poſſem vobis perſoluiſſe Charin.
Caſtalios vidi Latices, ſacroſque receſſus,
Quaque fluunt doctæ Bellerophontis Aquæ:
Sed mihi nulla tamen venit obvia Gratia: JOSEPH,
Namque omnis Vultum viſa ſubire tuum.
Ergo ſi quis erit qui grates poſceret, in Te
Omnes collectas protinus inveniet.

FINIS.

Digitized by Google

PROTESTA

LE parole Fato, Deſtino, Nume, Paradiſo, Adorare, e ſimili, che troverai, o Lettor diſcreto, ſparſe, tanto nelle Poeſie Latine, che volgari del preſente Libretto, degnati riceverle come abbellimenti o Fantaſie Poetiche, non già come ſenſi di vero Cattolico, quale ſi profeſſa il Religioſo Autore.

Imprimatur.

Guido Urſellus Vicarius Generalis.

Imprimatur.

Fr. Andreas Fælix Fachinei Sac. Theol. Lector, Vic. S. Officii Forolivii.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Forolivii Typis Dandi Impreſs. Epiſc. 1722.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google